

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Apostoli q  
cum uariis

O frater mi Thimothee, si uidisses agones consummacionis ipsorum, defecisses quidem pre tristitia et dolore! Quis non fleret illa hora quando preceptum sentencie egressum est in eos, ut scilicet Petrus crucifigeretur et Paulus decollaretur? Vidisses quidem tunc turbas Iudeorum et gentilium percucientes eos et expuentes in facies eorum, sed aduenienti terribili tempore consummacionis ipsorum ligauerunt columpnas mundi, non utique absque fratrum gemitu atque ploratu et cum separarentur ab inuicem. Tunc Paulus ait Petro: Pax tecum fundamentum ecclesiarum, pastor ouium et agnorum Christi. Ac Petrus ad Paulum: Vade in pace predicator bonorum, mediator et dux salutis iustorum. Cum autem elongassent eos ab inuicem, secutus sum magistrum meum. Non in eodem loco siue uico occiderunt eos.

Dyonisius in epistola ad Thimotheum.

---

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>):

eos] es (*cor. intra*) B; aduenienti] adueniente P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; ligauerunt] ligauit P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; mediator] meditator P V<sup>1</sup>; autem] elg *add. (del. intra)* B; magistrum] scilicet Paulum *add. in marg.* B, *add. supra lin.* C; meum] scilicet Paulum *add.* P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; occiderunt] occiderant P V<sup>1</sup>